



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1679

Acta concordiæ initæ inter Canonicos Ruthenenses & Monachos
Massilienses super Ecclesia sancti Amantij & sepultura civium
Ruthenensium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14735

Ego Vvido gratia Dei Viennensium Archiepiscopus subscripsi.

Ego Geraldus Morinorum Episcopus subscripsi.
Signum Renerij Canonici Malleonensis.

Ego Rangerius Cardinalis subscripsi.

Signum Fulconis Andegavensis Comitis.

His audientibus, Clarembaldo de Rupeforti, & Hieronymo fratre ejus, & Goffrido Fulcredo, & Hugone de Poceio.

Hæc secunda sanctio facta est Turonensi Concilio, Apostolico viro Missam devotissimè celebrante, XII. Kalendas Aprilis, luna existente XXII. anno MXCVI. incarnati verbi, Philippo Rege Francorum imperium tenente.

Signum magistri Mainegaudi.

Signum Guillelmi electi de Claromonte.

Signum Raginaldi Andegavensis junioris Episcopi.

Signum Radulphi Archiepiscopi Turonensis.

*ACTA CONCORDIÆ INITÆ
inter Canonicos Ruthenenses & Monachos
Massilienses super Ecclesia sancti Amantij
& sepultura civium Ruthenensium.*

Ann. 1140.

SVper alteratione quæ inter Canonicos Ruthenenses & monachos Massilienses pro Ecclesia sancti Amantij & sepultura civium Ruthenensium jamdiu ventilata fuerat, hujusmodi concordia communi assensu utriusque partis intervenisse dinoscitur. In primis præfati monachi possidentes Ecclesiam beati Amantij, cujus Ecclesiæ possessio confirmata est & jam in præsentis episcopali donatione facta communi assensu Clericorum Ruthenensium, ipsi quidem monachi debent persolvere pro eadem

Ecclesia Canonicis Ruthenensibus in festiuitate Apostolorum Petri & Pauli annum censum viginti solidorum Ruthenensium, salva nimirum in eadem Ecclesia Ruthenensis Episcopi debita reuerentia. Pactum est etiam inter Petrum venerabilem Abbatem Massiliensem & Clericos Ruthenenses coram Episcopo ut omnium Ecclesiarum pertinentium ad alodium beati Amantij, quæ acquisitæ fuerunt ab anno incarnationis Domini millesimo centesimo vigesimo, vel deinceps acquiri poterunt, habeant Massilienses medietatem, alteram verò medietatem Canonici Ruthenenses; excepta Ecclesia sancti Austremonij, pro qua prædicti monachi debent dare annuatim Ecclesiæ Ruthenensi duas libras albi incensi donec præfati Clerici Boadonensem Ecclesiam possint acquirere, vel aliam æquivalentem, nisi ea poterit acquiri. Præterea Ruthenensi Episcopo præsentem unà cum Hugone Comite concorditer actum est inter prætaxatos monachos & Clericos ut iidem Canonici haberent liberam facultatem sepeliendi circa matrem Ecclesiam Episcopos & Archidiaconos nec non etiam universos quicumque canonico habitu suscepto vitam finirent, ita tamen sub distinctione, ut si aliquis in extremitate vitæ canonicum habitum postularer, ipsi Canonici per proprium nuntium conveniant Capellanum sancti Amantij, vel eo absente quemlibet Clericorum ejusdem Ecclesiæ, quatinus aliquis eorum ad hoc infirmum adiret, ut eo præsentem canonicum habitum susciperet. Si verò, legatione audita, aliquis eorum illuc ire differret, haberent iidem Canonici liberam facultatem imponendi canonicum habitum infirmo & eum mortuum sepelire; ita nimirum ut Ecclesia beati Amantij obtineat debitum beneficium, secundum voluntates infirmorum, omnium quidem qui in infirmitate canonicum habitum susceperint; conversos quoque qui dimissa

proprietate ad eos venirent, necnon etiam mulieres Deo devotas post promissionem castitatis & obedientiæ relicta proprietate, simili modo sepultura traderent. Alios autem universos in cimiterio ejusdem beati Amantij sepeliendos esse non dubitatur. Præterea sciendum est quòd his quæ per Massilienses sive per Canonicos Ruthenenses ab apostolica sede impetrata fuerant, quibus huic instrumento derogari posset, favore hujus transactionis ab utraque parte penitus renuntiatum est.

Ego Bernardus hoc instrumentum scripsi xv. Kal. Maji, incarnationis dominicæ anno millesimo centesimo quadagesimo.

S. Domini Ademarij Episcopi. Ego Petrus Abbas Massiliensis subscripsi. S. Guillelmi Prioris de canonica. Ego Guillelmus Prior sancti Leontij. Ego Guillelmus Archidiaconus. Ego Hugo Archidiaconus subscripsi. Ego Deusdedit Prior sancti Amantij. Ego Vvillelmus Præpositus subscripsi. Ego Guillelmus Prior Amiliavensis subscripsi. Ego Petrus de Montoliu subscripsi. Ego B. de Belcastel subscripsi.

Bulla Lucij II. Pape confirmantis superiorem transactionem.

Anno 1144.

LVcius Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Petro Massiliensi Abbati ejusque successoribus regulariter promovendis in perpetuum. Equum & rationabile esse dinoscitur ut qui ad Ecclesiarum regimen assumpti sumus, eas & à pravorum hominum nequitia tueamur & ipsarum quieti atque utilitati auxiliante Domino salubriter providere curemus. Quamobrem, dilecte in Domino filii Petre Abbas, tuis justis postulationibus clementer annuimus, & Ecclesias quas canonicè possideris, videlicet Ecclesiam sancti Amantij, quæ in Ruthen-